Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1477
Quelle:
Copyright:

Schola et Typographia constituenda et vertendis in linguam *Polonicam* Bibliis. Colliguntur haec e miti et perhumano *Alberti* Responso, in quo tamen sincere edicit, si in Provinciam cum Suis recipi velit *Lascus*, aut amplectendam iis esse Confessionem *Augustanam*, aut novam condendam, quae huic non contradiceret. Συμβολὴν pecuniariam 400. florenorum (Polonicorum?) in triennium addicit. In annum 1544. haec reponenda videntur; memorant vero Scriptores, effectu caruisse, postquam *Lascus* suam de S. Coena Confessionem, sine dubio *Zwinglianam* ad Ducem misisset. *Foll.* 6.

IX. *Pars literarum Lycobatis Loemij ad reuerendiss. dom. Melum Episcopum Dryopolitanum et Præpositum Botaniensem.* Exposuit adfectationem hanc graeculam jam συγχρόνος quidam *Wolfgangum Hungerum* et *Mauritium* (Huttenum) *Eichstadianum* reponendo; nil igitur superest, quam ut ad *Botaniensem* adscribam *Herbipolitanum. Hungerus* celeber ICtus et Legum Doctor in Academia *Ingolst.* elogium habet in ejus *Annalibus* a *Valent. Rotmaro ibid.* 1580. 4. editis p. 102. ubi etiam *Mauritii* Ep. p. 119. clara memoria. Obiit hic anno 1552. *Hungerus* vero 1555. unde scriptae Epistolae tempus desumas. Praefatur Librarius: *Post fratris* (Joachimi) *commendationem, cui sacerdotiolum ad discendas in Academia literas sacras petebatur, extant hæc Epistolæ verba.* Μνημοσύνον ait se mittere, quale pro ratione huius temporis e schedis suis depromendum videbatur; sunt vero egregiae Viri pii et rerum periti Meditationes de infelici *Germaniae* Statu maxime ob rapinas Bonorum ecclesiasticorum et pravos Cleri mores, quibus tenue illud solatium adhibeas: *Non valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim praecessit in seculis, quae fuerunt ante nos.* Eccl. 1. v. 10. *Foll.* 7.

DCXXXVI.

Codex chartaceus lat. germ. E. 4
Sec. XVII. Folior. 607. 4. non una manu exaratus et a *Leibnitio* cum aliis hic relatis aut referendis oblatus *Eugenio Sabaudieo*, coagmentatus est e quorundam Theologorum Protestantium Scriptis, quorum hic ordo: *Balth. Bebelii Argentinens.* Superintend. et Prof. *Witteberg.* a. 1686. defuncti *Loci Antisyncretistici.* Edidit eos titulo *Collegii Antisyncretistici* a. 1709. *Joh. Frid. Mayerus* e Ms. quod nostrum ipsissimum puto; plura enim e Bibliotheca *Mayeriana* ad *Leibnitium* pervenisse, jam aliis locis observavi. Qua fide porro in iis edendis versatus fuerit *Mayerus*, e collatione comperiri posset.

II. *fol.* 73. habentur *Collectanea Dn. D. Danielis Heinrici p. m. super Matthaeum.* Fuit vir hic patria *Chemnitziensis* Prof. Theol. *Lipsiae*, ubi a. 1666. diem clausit, reliquitque inter alia Ms. *Collectanea* non tantum *in Matth.* sed *in omnes IV. Evangelistas*, ut testatur